



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Ioan. Crombecii Societatis Iesv Presbyteri De Studio  
Perfectionis Libri Dvo**

**Crombecius, Johannes**

**Mogvntiæ, 1614**

I. Vnvm Deum omni ex parte esse perfectum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51132)



DE STUDIO

PERFECTIONIS LIBER

PRIMVS.

CAPVT I.

*Vnum Deum omni ex parte esse  
perfectum.*



VI Deum perfectum esse *Deus per-*  
nescit, nescit se à Deo esse *fectus est.*

perfectum : si enim cuncta  
à Deo condita sunt, necesse  
est & se ab eo conditum es-  
se fateatur. Si vero omnia à

Deo proficiscuntur, manant, originemque du-  
cunt, tamquam primo principio, formas omnes  
eminentissime continente : qui fieri potest, vt  
PERFECTIONES omnes in eo non reperian-  
tur? Ipse enim rerum causas producit: essentiam  
existentiam, PERFECTIIONEM que naturis  
rerum attribuit: estque intime præsens rebus  
omnibus, vt sint, & permaneant. *Omnia enim*

A

per

## 2 DE STUDIO PERFECT.

*Ioan. 1.* per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Et:  
*Act 17.* In ipso uiuimus, mouemur, & sumus. Certe si esse nostrum à Dei esse pendeat, etiam PERFECTI-  
ONVM nostrarum existentia ab ipsius existentia pendere debet.

*Est esse per se subsistens.* 2. Omnis namque sapientia, bonitas, excel-  
lencia, nobilitas, fortitudo, virtus denique om-  
nis, PERFECTIOES esse non possunt, nisi prius existant, & in illo suo esse perpetuo conseruentur: Deus autem dat omnibus rebus existentiam: estque esse per se subsistens, continens in se omni-  
modum vt B. Thom. loquitur essendi PERFECTIO-

*D. Thom. 1. p. q. 4. c. 2.* NEM. Ita enim Moyse Deus asseruit: Ego sum qui  
*Exod. 3.* sum. Sic dices filius Israel: Qui est, misit me ad vos. Item:  
*Apoc. 1.* Ego sum a & o. principium & finis, dicit Dominus Deus  
Deus est es- qui est, & qui erat, & qui venturus est omnipotens. Vt  
se rerum o- ergo res existentes ad Dei esse pertinent: ita  
mnium.

PERFECTIONES rerum omnium, ad PERFECTI-  
ONEM essendi, quæ est in Deo, referuntur.  
At in Deo res omnes existunt: PERFECTIOES  
ergo rerum omnium in Deo reperiri necesse est.

*De diuin. nomin. c. 5.* Hinc D. Dionysius Areopagita, cum dixisset  
quod Deus non quodammodo sit existens, sed simplici-  
ter & incircumscripte totum in seipso uniformiter esse  
præcipit, subdit, & ipsum debere dici esse substi-  
stentibus: quasi dicat, si Deus omnibus esse largi-  
tur, & omnes in Deo sunt: cum in eo simili-  
ter PERFECTIOES consistant,  
necessarium esse vt in DEO ipsæ reperian-  
tur, sine quo ne subsistere quidem possent.

*Deus est virtus tota & vniuers-* 3. DEVS ergo perfectissimus est: illud  
enim dicitur vniuersaliter perfectum, cui nul-  
la ali-

la alicuius generis deest virtus, nobilitas, aut <sup>salis essen-</sup> excellentia. In Deo certe nulla desiderari potest: <sup>di.</sup> est enim Deus virtus tota & vniuersalis essendi: in qua omnes diuinæ PERFECTIO-  
NES, & rerum omnium conditarum nobilitas continetur. Nos imperfecti sumus: eo-  
que magis, quo minus de essendi illius infi- <sup>Imperfe-</sup> nitate participamus. Longissime vero abest à <sup>ctionis crea-</sup> Deo, non esse, aut defectus: quæ in nobis pluri- <sup>turarum</sup> ma sunt: quia illa infinito eius essendi modo pla- <sup>ratio.</sup> ne repugnant. Cum ergo Deus sit proprium suum esse, illudque habeat secundum omnimodam essendi potestatem: necesse est, in eo omnes, tam diuinas, quam creatas PERFECTIO-  
NES contineri. Quid enim est nobilitas sapientiae, nisi nobilitas esse eiusdem? & quæ excellentia in virtute reperitur, quæ non in esse virtutis? Vnde bene S. Thomas: *Omniem nobilitatem cuiusque rei, esse sibi secundum suum esse.* Ex cu- <sup>Lib. I. cont. Gent. c. 28. parag. 1.</sup> iusque enim modo quo res est, nobilitas cuiusque oritur. Nobilior est sapientia, quam scientia humana: & caritas, quam timor: quia eorum esse nobiliter est. Nec sapientia amplius in se habet, quam ei suum esse tribuit. Si enim non sit, ne nomen quidem meretur. Nos ergo paucas virtutes habemus, & inæquales: quia defectus & hiatus magni sunt in nobis, qui ex nihilo venimus, & participamus de illa essendi infinitate, particulati & imperfectissimo modo, non secundum omnimodam potentiam. Hinc imperfecti sumus. Deus autem, qui vis quædam est infinita, continens totam, vniuersalem, & omnipotentem virtutem

4 DE STUDIO PERFECT.

effendi, non modo PERFECTIONES rerum quæ iam existant, sed & quæ vel futuræ sunt, vel nunquam erunt: diuinas item omnes complectitur, meritoque Deus perfectissimus dicendus est.

*Deus causa est ad quam cetera ultimo referuntur.*

4. Et nos quidem id fieri cogimur, rei euidencia eo ipso, quo res creatas imperfectas dicimus. Res enim imperfecta, necessario ab aliquo perfecto in suo genere procedit. Verbi gratia: acinus in pomo, semen tantum est, non arbor: imperfectus est ergo. Procedit ab arbore: ergo illa perfectior acino. Arbor vim omnem trahit à radice; ergo & radix trunco perfectior: radix à Sole; ergo Sol perfectior: Sol & radix à virtute indita Soli vel radici; vis autem illa à Deo procedit, ad quem ita singula reduci referrique debent; Deus ergo perfectissimus est.

*Deus efficiens causa rerum omnium.*  
Iob 10.  
Isaia 47.  
Rom. 11.

5. Est enim, vt iam dixi, Architectus rerum omnium & auctor: singulæque res dicere ac fieri coguntur, quod Propheta Iob de se falsus est: *Manus tuæ, Domine, fecerunt me, & plasmauerunt me totum in circuitu.* & Isaias: *Quis hæc operatus est & fecit, vocans generationes ab exordio?* Ego Dominus, primus & nouissimus ego sum. Et Apostolus Paulus: *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Certe, causa effectiua, effectus sui PERFECTIONES, quas ei communicat, omnino continet. Nec enim substantia quædam naturalis hominem generaret, quæ homo non esset: nec Sol parens rerum omnium dici posset, si excellenti quadam virtute, rerum à se productarum naturam atque ornamenta in se non haberet. Quod si oculos attollam altius, & Deum intuear

meat zelantem accidentem, *Nolite vocare vobis* *Matth. 23.*  
*patrem super terram, vnus est enim Pater vester in cœ-* *Iob 38.*

lis: imo & se patrem pluuiæ indigentem: quia ea-  
 dem eminenti virtute pluuias, grandinem, ro-  
 rem, tonitrua generat atque efficit: afferentem  
 deinde per Apostolum suum, *Omne datum opti-* *Iacobi 1.*  
*num, & omne donum perfectum de sursum est, descen-*

*dens à Patre luminum: apud quem non est transmu-*  
*tatio, nec vicissitudinis obumbratio: nonne iure con-*  
*concludam, in se rerum illarum, quas efficit,* *In Deo res*  
*PERFECTIONES nobiliori, sublimiori, &* *omnes e-*  
*super na uram eminenti virtute, quam Pater* *minenter*  
*Filij, aut Sol rerum quas efficit, naturas, decora* *contineri.*

atque ornamenta complecti? Hinc D. Diony-  
 sius de Deo loquens, *Non quidem, ait, hoc est, hoc* *De diuin.*  
*autem non est; sed omnia est, & omnium causa. Deus* *nom. c. 5.*

namque nec aurum est, quod terra effoditur;  
 nec Sol, qui vicissitudinem patitur; nec homo, *Iaco. 1.*

qui sædo spermate concipitur; nec lux, cui tene-  
 bræ succedunt; nec alia, quæ sensibus percipi-  
 mus; sed aurum ignitum, quo locupletamur: sed  
 Pater luminum omnium: sed prototypum ho- *Apocal. 2.*  
 minis, lux inaccessibilis: & quidem infinito mo- *Iaco. 1.*  
 do, nobilitate, gloria, virtute cuncta exuperans. *1. Tim. 6.*

Rationem huius adfert D. Ioannes: *Quod factum*  
*est, in ipso vita erat. Quasi dicat: Quod fit à Deo, à* *Ioan. 1.*

Deo intelligitur: De autem intellectus, intelli-  
 gere, & intellectu conceptum, vt in Deo sunt, à  
 Deo non discrepant. Vita ergo Dei ea sunt om-  
 nia. Ita S. Thomas D. vero \* Anselmus: *Cum* *1. p. q. 18. ar.*

*summus ille spiritus dicit se ipsum, dicit omnia quæ fa-* *4.*  
*cta sunt: nam & antequam fierent, & cum iam facta* *\* Monol. c.*

A 3

sunt,

33.

sunt & cū corrumpuntur, seu aliquo modo varantur, semper in ipso sunt: non quod sunt in se ipsis, sed quod est idem ipse. Etenim in seipsis sunt essentia mutabilis, secundum mutabilem rationem creata: in ipso vero sunt ipsa prima essentia, & prima existendi veritas: cui pro ut magis utcumque illa similia sunt, ita verius & prestantius existunt. Piusime vero Divus Augustinus: Apud te, Domine, omnium stabilium stant cause, & omnium mutabilium apud te immutabiles manent origines, & omnium rationabilium & irrationabilium atque temporalium sempiterna vivunt rationes. Et paulo inferius: Quidquid enim est, à te est: quia sine te nihil est. Nonne tu es fons vite, à quo fluit omnis vita? quidquid enim vivit, per te vivit: quia sine te nihil vivit. Item alibi: Omnis vita vel que nutrit & continet, qualis est in arboribus: vel que hæc habet & sentit, qualis est in pecoribus vel que hæc habet & intelligit, qualis est in hominibus: vel que nutritorio subsidio non indiget, sed tamen continet, sentit, & intelligit, qualis est in Angelis: nisi ab illo esse non potest, qui simpliciter est. Quia non aliud illi est esse, aliud vivere: quasi possit esse non vivens: nec aliud est illi vivere, & aliud intelligere, quasi possit vivere non intelligens: nec aliud intelligere, aliud beatum esse: quasi possit intelligere non beatum. Sed quod illi est vivere, intelligere, beatum esse, hoc illi est esse. ita Augustinus. Diuinas ergo Deus in se, creatasque PERFECTIONES eminenti quadam ratione complectitur. Hæc autem similitudinibus adumbrari possunt. Nam denarium ex cupro ignobilem, in nummo argenteo: & argenteum, in auro reperies. Rerum etiam existentia sua singulis inest: excellentius

Soliloq. c. 32

Lib. 8. de civitate Dei. c. 6.

Similitudines c. 1. gl. 1. bat. 2.

1.

2.

tius tamen in planta, quam in lapide: in elephanto, quam in arbusculo: in homine, quam in musca: in Angelis, quam in homine: in Deo denique, quam in omnibus creatis. Vis quoque vegetatiua sic viget in arbore, vt ad summam altitudinem eam attollat: nobilius est tamen in ceruo, imo & in formica, vbi cum vita, motu, & industria vis illa supereminet. Sed quanto magis in homine, cuius vita cœlum intuetur, æternitatem spectat, in Deum tamquam possessionem suam perpetuam aspirat! Et calore quidem ignis recrearis, eoque frigidus incalescis: sed quis ignis materia concretus ita late patet, idque efficit, quod calor Solis, æstate media? aut natiuus calor, vitam in nobis conseruans? qui sane alius est, ac nobilior, quam qui ab igne promanat. In milite gregario auctoritas est, in bello persequendi hostem, capiendi, trucidandi: sed eadem in Decurione, Centurione, Primipilo, ordinum Ductore, Chiliarcha, Tribuno, Duce, Imperatore denique longe excellentior est. Sicut & iurisdicção Ecclesiastica in Curione reperitur: sed quid in Episcopo? quid in Patriarcha? quid in summo Pontifice, Christi vicario? nonne eminentius? Sic in Deo hæc quidem reperies, sed nobiliora, altiora, excellentiora, quam vel in rebus ipsis sint, vel sensus noster comprehendere possit. Cumque Deo nihil possit accidere, illa omnia PERFECTIONES Dei sunt, & Deus ipse, & ea ipsa infinita, & omnibus absoluta numeris. Hæc omnia paucis expressit Anselmus. *Creata, inquit, verius in verbo sunt & intelligentia*

3.  
4.  
5.  
6.  
D. Thom.  
lib. 1. cont.  
Gent. c. 28.  
parag 4.  
Ibid. Fran-  
cisc.  
Ferrar. in c.  
32.  
Monolog.  
c. 35

*Creatoris, quam in seipsis: quanto verius existit creatrix, quam creata substantia.*

*Materia  
imperfe-  
cta.*

6. Verum defectuositas nostra, ac eorum quę materia constant, incredibiliter Dei PERFECTIONES arguunt atq; illustrāt: est enim materia imperfectissima: & eo imperfectior, quo ad varias formas, quib. caret, magis idonea est. Non enim PERFECTIO est, posse perfici: sed eam formam atq; actum esse consecutum, quę habere possis. In exemplo clarius elucebit. En auri præstantis ingens massa: ex ea fieri potest Mercurius, & quidem in Mercurio efformato pedes, tibię, femora, pectus, brachia, manus, caput, oculi, aures, os, nasus, ac cetera necessar' a sunt. Imperfectum profecto dicemus, si vel vna pars desideretur. Dicis enim: Hęc statua caput habet, deest tamen nasus: oculum habet dextrum, caret sinistro. In massa ergo illa, materia præsens est, & apta ad formas illas omnes: sed eo imperfectior est, quo plures actus ac formas habere potest, quibus interea caret. Idem statui potest in homine. Dicis enim: Hic puer, nondū Baptismo initiatus, iustificari potest; insignibus virtutum ornamentis condecorari: fide, spe, caritate firmari: humilitatis, obedientię, mansuetudinis, benignitatis laude commendari: possunt in eo iustitię, prudentię, fortitudinis, temperantię cardines inueniri: Religio item, pietas, obseruantia, gratitudo, magnanimitas, patientia, constantia, perseverantia, cum ceteris virtutum ac donorum præsidijs: euadere denique in virum perfectum. Verum hęc dicuntur  
in

in potentia : desunt tamen : ideo imperfectus *Macarius*  
 puer censendus est. Addam, eundem ipsum (vt *homilia. 15.*  
 diserte & eleganter Macarius) in vtero matris  
 fuisse embryonem, & de eo dici potuisse, Erit  
 aliquando, & aetate de nato vero affirmari grã-  
 diorẽ ætate & statura esse posse: futurum forte  
 vt excultus litteris humanioribus, Græcis, La-  
 tinis, Hebraicis, Doctorarus, vtriusque Iuris  
 laurea donetur: vel ex generoso milite Chiliar-  
 cha, aut etiam ciuitatis aut prouinciæ Præses,  
 Dux, aut denique Imperator Augustus virtute  
 ac meritis euadat. Hæc omnia si actu adessent,  
 PERFECTIO NES hic puer multas haberet:  
 quæ quia absunt, & forte ab iis longe diuersa  
 atque etiam opposita sectatur, imperfectus di-  
 citur. At in Deo nulla est materia, nulla po-  
 tentia, quæ actu perfici debeat, nihil desideratur: *Deus est*  
 omnia præsentia semper in eo fuerunt: nec um- *purus a-*  
 quam tempus fuit quo dictum est, Deus erit, *ctus.*  
 erit potens & sapiens: sed dies eius æternitas est,  
 semper fuit omnipotens, Rex sæculorum, *Prin-*  
 ceps Regum terra, sapiens, bonus, misericors. *Apoc. 1.*  
 Quod si aggrediar numerum attributorũ eius *Perfectio-*  
 re ensere, numerus medietasque deficient. Et *nes Dei in-*  
 cum virtutes eius innumerabiles sint, tum & *finita.*  
 singule innumerabiles PERFECTIO NES actu cõ-  
 tinent. Ita Prophetæ loqui libuit: *Et sapientia eius*  
 non est numerus, & magnitudinis eius non est finis: *Re-*  
 gnũ tuum Regnũ omnium sæculorũ, & dominatio tua *Psal. 146*  
 in omni generatione & generatione. Hanc doctrinã *Psal. 144.*  
 D. Thõ. paucis verbis expressit graphice. *Deus,*  
 inquit, *ponitur primum principium, non materiale.* *1. cor. 9. 1.*  
*a. 1.*

*sed in genere cause efficientis. Et hoc oportet esse perfectissimum. Sicut enim materia, in quantum huiusmodi, est in potentia: ita agens, in quantum eiusmodi, est in actu. Vnde primum principium oportet maxime esse in actu, & per consequens maxime esse perfectum. Secundum hoc enim dicitur aliquid esse perfectum, secundum quod est actu: nam perfectum dicitur, cui nihil deest secundum modum sue PERFECTIÖNIS.*

*Hæc D. Thom.*

*7. Ex quibus colligitur, Deum non tantum esse perfectum quod omnes illas PERFECTIÖNES habeat, quæ ipsum in seipso perfectum reddunt: ut quod ipse sit suum esse à nullo dependens, nulla omnino desideret quæ iuvent eius operationes, (nam ea quæ nobis adveniunt ad agendum necessaria, in ipso essentialia sunt: est enim Deus bonitas, sapientia, iustitia, quæ si nobis attribuamus, ea nobis accidere dicemus) ipse quoque finis suus est, & ad aliud non ordinatur, tamquam ad finem: finis vero omnium rerum est: quæ tria capita sunt incommunicabilis PERFECTIÖNIS: sed etiam præterea res omnes producere ac conseruare possit, tamquam primum principium: vnde certo colligere licet, in eo, actu, rerum omnium PERFECTIÖNES debere præexistere, quas nec communicare nec cōterare possit, si in se eas non haberet. Quæ cum vni & soli Deo competant: euidens est, vnicum Deum omni ex parte esse perfectum.*

CAP.

*Perfectio-  
nis incom-  
municabi-  
lis rationes  
tres.*

*D. Thom.  
1. p. q. d. a. 3.*